



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 2. Vtrum Confessio debeat esse integra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

grè confessus est; & ex parte Sacerdotis scientia generalis, quâ intelligit pœnitentem se accusare de peccatis, videtur sufficere præcisè ad absolutionem. Cognitio enim distincta peccatorum non tam ad absolutionem, quàm ad satisfactionem, & remedia prescribenda videtur necessaria. Quod confirmatur: quia, qui sic absoluitur in articulo mortis, validè absoluitur; vt infra art. 2. dub. 2. dicemus: atqui articulus mortis non dat illi hanc potestatem absoluedi cum generali cognitione: ergo ex ipsa natura rei sufficit.

An tunc partialiter iteranda confessio,

10 Ex parte pœnitentis fit irrita confessio:

1. Si sponte non est integra,

2. Si deficit dolor &c.

3. Si nolit acceptare pœnitentiam.

Confessio quomodo iteranda.

Aduerte tamen, talem confessionem postea videri iterandam, quâ parte intellecta non fuit; vt communiter Doctores docent. Etsi contrarium non sit improbabile, vt docet Henriques lib. 2. de Pœnitentia cap. 14. citans pro se Cordubam, Gabrielem, & Siluestrum.

Ex parte pœnitentis est inualida & repetenda. Primò: Quando non est integra de industria, ob verecundiam, vel aliam causam non legitimam. Ob causam tamen legitimam potest interdum de industria fieri non integra. Pari modo, si ex crassa negligentia non fuerit integra, iuxta ea, quæ supra num. 6. diximus: quamuis Confessor hoc non facillè debeat iudicare, quando pœnitens pro suo modulo aliquam operam dedit.

Secundò: Quando non habet vllum dolorem, aut non habet absolutum propositum abstinendi impotterum, vt supra num. 4. & 5. dictum est.

Tertiò: Quando non est paratus acceptare aliquam rationabilem pœnitentiam, aut certè non habet animum illius implendæ, idque ante absolutionem. Tenetur enim acceptare aliquam pœnitentiam rationabilem, si Sacerdos velit. Neque contrarium est probabile, quidquid aliqui dixerint. Hoc enim apertè docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. *Habeant Sacerdotes præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad notam vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Nam Claves Sacerdotum non ad soluendum duntaxat, sed etiam ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent.* Ratio est; Quia fungitur officio Iudicis auctoritate diuinâ præditi: ergo eius sententia obligat pœnitentem, multò magis quàm sententia Iudicis secularis, qui tamen ad multam subeundam potest obligare. Vnde non potest pœnitens dicere, *Nolo hic satisfacere, sed satisfaciam in Purgatorio.* Quòd si pœnitentia illi videtur nimis grauis, roget Sacerdotè vt illam mitiget. Quòd si, dum pœnitentia iniungeretur, habuit animum implendi, postea tamen neglexit, vel etiam contempsit, non tenetur priorem confessionem repetere, vt falsò quidam existimarunt; sed sufficit confiteri illud peccatum neglectæ pœnitentiæ. Et ratio est, quia peccatum sequens non potest Sacramentum, quod præcessit, reddere irritum: nam natura Sacramenti, eiusque effectus non pendet ab euentu futuro.

Notandum hîc est: Si quis inualidè confessus redeat ad eundem Confessarium, qui adhuc aliquo modo, saltem in confuso, meminit peccatorum, vel status pœnitentis, vel saltem pœnitentiæ quam iniunxerat, sufficere vt confiteatur peccata omissa, relictis ijs quæ antea fuit confessus: sic enim poterit ab omnibus absolui; vt docet Nauarrus cap. 9. num. 19. Medina, Paludanus, Ri-

chardus. Quòd si Confessarius ille, quem adit, nullo modo meminerit, vel si alium adeat, tenetur ex integro omnia priora confiteri.

ARTICVLVS II.

Vtrum Confessio debeat esse integra?

R Espondetur: Confessio debet esse integra omnium peccatorum, quæ post diligens examen memoria occurrunt: idque iure diuino est necessarium. Est fide tenenda. Patet ex Concilio Trid. sess. 14. can. 7. vbi hoc expressè definitur: & ex testimonijs Scripturæ, Conciliorû & Patrum supra q. 6. dub. 1. allatis.

11 Integram esse debere confessionem, cum est de fide.

Hinc sequitur necessarium esse confiteri omnia peccata secundum suas species, numerum, & circumstantias speciem mutantes: quòd etiam fide tenendum est ex iisdem locis. Legatur diligenter cap. 5. & can. 7. sess. 14. & Concil. Lateranense cap. 21. Ratio est: quia sine numero & circumstantijs nec pœnitens potest confiteri omnia peccata, à quibus debet absolui; nec Sacerdos potest cognoscere, à quibus debeat absolueri.

Notandum tamen Primò: Si pœnitens adhibita diligentia non possit certum numerum inuenire, satis esse, vt dicat *plus minus*, quantum illi videatur. Vel si hoc non potest, aperiat suam consuetudinem, quanta & quàm diuturna ea fuerit: sic enim poterit intelligi eius status. Ita militi satis erit dicere, se quotidie blasphemare, quando datur occasio, tali vel tali modo blasphemie. Vfurario, se iam triennium omnibus aduentantibus dare ad vfuras. Meritrici, se quinquennium omnibus expositam.

12 Explicat numerum vt potest.

Notandum Secundò: Eam diligentiam in examine requiri, quam quis pro suo captu in referia adhibere solet. Vnde Rultici, & homines simplices cum modica discussione possunt audiri; quia parum sunt idonei ad vitam præteritâ excutiendam, & interrogatio Sacerdotis supplet. Vide Nauarrum in Capitulum Fratres, de Pœnitentiâ dist. 5. nu. 65. & sequentibus.

Examem fit iuxta conditionem peccantis

DVBIVM I.

Vtrum aliquando fieri possit Confessio non integra: & quibus casibus?

R Espondeo: Possè, & debere interdum fieri confessionem non integram: nempe quotiescumque interuenit iustum impedimentum, siue ex parte Pœnitentis, siue ex parte Confessoris.

13

Primò: Si pœnitens dicto vno, vel altero peccato, amittat loquelam; tunc enim est absoluedus. Ratio est; Quia hæc confessio est integra siue esse potest. Sicut enim obliuio non tollit integritatem confessionis necessariam, ita nec impotentia.

14 Si pœnitens amittat loquelam.

Secundò: Quando multi sunt audiendi, & ob temporis breuitatè & periculû mortis ingruens, non possunt omnia dici: vt in naufragio, inualisione hostili, & similibus periculis.

15 Si periculû mortis.

Tertiò: Quando probabiliter timet aliquod notabile damnum sibi, vel alteri ex confessione certi

14

Si meminat inde damnari.

certi peccati obuenturum: exempli gratia, reuelationem peccati, odium graue, sollicitationem pudicitiae, vel etiam damnum temporale. Ratio est, Quia, dum poenitens alteri timet malum ex sua confessione, esset contra charitatem vel iustitiam, illud confiteri. Si sibi timet malum, esset contra illam inclinationem vitandi proprii damni, quae adeo naturalis est, vt humana imbecillitati non sit consentaneum obligari sponte contra facere per nudum praecipitum positum: vnde cum Iugum Domini sit suauis, non est credibile in tali casu obligari.

Non tamen excusat propriam vel complicitatis infamiam apud solum Confessarium.

Notandum autem, hoc damnum, quod timeatur, debere esse notabile. Si enim ex mea confessione nihil aliud sequeretur, quam mala opinio Confessoris de me, vel de persona peccati socii, non possem omittere illud peccatum, aut necessarium circumstantiam: vt ferè omnes Doctores docent: D. Thomas, Alexander, Bonauentura, Paludanus, Henricus, Durandus, Richardus, Gabriel, Antoninus, Adrianus Papa, Sotus, Caietanus, Angelus: quos citat Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 27. Ratio est duplex: Prior, Quia non est per se infamia, aut notabile damnum, quod vni aperiantur mea peccata, quando nihil inde aliud sequitur: sicut neque est notabile bonum, quod vnus sciat meas virtutes, qui numquam id potest exterius ostendere; vt rectè docet Petrus Nauarra loco citato. Si enim id notabile incommodum fuisset, Dominus confessionem peccatorum non praecipisset. Vnde merito, propter integritatem huius Sacramenti, poterit tale peccatum aperiri. Secunda Ratio est: Quia Christus ita instituit hoc iudicium poenitentiae, vt voluerit esse integrum & completum, id est, continere integram peccatorum absolutionem: ergo etiam instituit & praecipit omne illud, quod per se est necessarium ad hanc integritatem: atqui commissio tali peccato, per se necessarium est ad integritatem huius iudicii, vt Sacerdoti species, & circumstantia mutans speciem, aperiantur: ergo hoc ipsum Dominus praecipit, quando nihil aliud incommodi inde sequitur, quam quod Sacerdos illam personam cognoscat: (hoc enim per se sequitur ex confessione) praesertim cum non cognoscat, nisi vt fungens auctoritate diuina.

15 Confiteri Sacerdoti qui complicitatem non nouit.

Hic tamen Aduerte Primò: Si poenitens possit commodè alteri confiteri, qui socium criminis non cognoscat, tenetur saltem sub veniali peccato: quia tunc non habet iustam causam sic confitendi vt alterius peccatum aperiat.

Si Confessarius complicitatem inde conijciat, quid agatur?

Aduerte Secundò: Non esse improbabile tale peccatum, seu circumstantiam posse, ac proinde debere taceri apud Confessorem, qui inde socium conijciat. Ita enim tenet Nauarrus cap. 7. num. 3. citans Hostiensem & Innocentium. Idem tenet Viguierus de Confessione. §. Quod si non possum, versiculo 27. Bannes 2. 2. quaest. 33. art. 8. & alij eiusdem Ordinis. Iuxta hanc sententiam poenitens, si non possit alteri confiteri, & praecipitum vel consuetudo consistendi virgeat, debet omittere illam circumstantiam vel illud peccatum, & secundum quosdam, debet confiteri internum affectum, tacito opere externo.

DVBIVM II.

Virum possit absolui ager, qui Confessarium vocauit, & ante eius aduentum vox ei intercepit? Item: An is qui non valet confiteri in genere vel specie, solum dedit in extremis signa contritionis tundendo petus, eleuando oculos in caelum, &c?

Quidam putant, non posse absolui. Fundamentum praecipuum est, quia deest materia confessionis. Ita Abulenſis in cap. 16. Matthaei quaest. 79. Melchior Canus reſeſtione 5. fol. 141. Dominicus Soto dist. 18. quaest. 2. art. 5. Ioannes Medina quaest. 53. codice de Confessione. Nauarrus in Enchiridio cap. 26. num. 27. & cap. 27. num. 268.

18 Quidam negant posse absolui.

Sed dicendum est; Probabilius esse, talem debere absolui. Probatum Primò: Ex Concilio Arauſicano can. 12: Subito obmutescens, & baptizari, & poenitentiam accipere potest, si voluntatis praeterita testimonium aliorum verbis haber, vel praesentis in suo nutu. Et Concilium I V. Carthaginense cap. 77. 16, qui in infirmitate poenitentiam peti, si casu, dum ad eum Sacerdos venit, oppressus infirmitate obmutuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat poenitentiam: & si continuo creditur moriturus, reconciliatur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. Idem praecipit Leo I. epistola 91. Hæ, qui in periculi virgentis instantia praesidium poenitentiae, & mox reconciliationis implicant, nec actio illis Poenitentiae nec Communionis denegetur, si eam, amisso etiam vocis officio, per iudicium integri sensus querere comprobentur. Quod si aliqua aegritudine ita fuerint aggravati, vt quod paulo ante poscebant, sub praesentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium praesistere debebunt, vt simul & poenitentiae & reconciliationis beneficium consequantur.

Veritas affirmatur.

Arausicanum.

Carth. IV.

Leo I.

Ad hæc Respondent Primò: His locis agi solum de reconciliatione eorum, qui erant excommunicati, & agebant absolutione ab excommunicatione.

17

Aduertentiorum responsio.

Sed contra. Primò: Quia Concilium Arauſicanum accipere poenitentiam coniungit cum baptizari: intelligit ergo Sacramentum. Idem facit Concilium Carthaginense & Leo. Secundò: Quia accipere poenitentiam, numquam accipitur apud veteres pro accipere absolutionem ab excommunicatione, sed accipere Sacramentum Poenitentiae; vt patet ex epistola 2. Caestini I. vbi dicitur, Sacerdotem, qui in extremis poenitentiam negat, esse reum animarum. Idem patet ex verbis Leonis, qui poenitentiam vocat actionem poenitentiae, quae datur in ipso Sacramento, dum imponitur satisfactio pro peccatis: Reconciliationem autè vocat absolutionem à peccatis, vt patet ex decursu totius epistolae. Terriò: Patres & Concilia non fuissent adeo solliciti de absolutione ab excommunicatione, vel de aliqua reconciliatione non Sacramentali, sine qua infirmi facile poterant saluari, & quæ etiam post mortem poterat impendi.

Refellitur.

Respondet Secundò: Agi de absolutione eorum, qui agebant poenitentiam publicam, qui initio Quadragesimæ confitebantur, & circa Pascha absoluebantur: hi, si interim incidissent in morbum, poterant absolui sine alia confessione. Ita Canus.

Aduertentiorum responsio.

Refellitur.

Sed hoc facile refellitur ex Leone, qui graui- ter reprehendit eos, qui mature non peterent pœ- nitentiam, dum sani sunt: at hi non erant repre- hendendi, quia non poterant petere absolutionem ante tempus statutum. Deinde qui iam publicam agebant pœnitentiam, non dicebantur petere pœ- nitentiam, sed agere: erat enim satisfactio Sacra- mentalis; nihilque petebant aliud, quàm Abso- lutionem.

18 Augustin.

Probatur Secundò eadem sententia ex D. Au- gustino lib. 1. De adulterinis Coniugijs cap. ultimo, ubi idem docet quod Leo, & Concilia citata.

Sacerdota- le Rom.

Probatur Tertio: Ex Sacerdotali Romano ap- probato à Leone X. ubi in tractatu de Sacramen- to Pœnitentiæ cap. 20. fol. 65. eadem sententia habetur.

Alcuinus.

Præterea hanc sententiam tenet Alcuinus lib. de diuinis Officijs §. De infirmis in fine pagine 94. ubi dicit: *Agris qui non possunt exprimere quod paulo ante postebant, testimonium fidelium debere prodesse; vt scilicet pœnitentiæ & reconciliationis beneficium asse- quantur.* Et D. Thomas Opusculo 65. capite De extrema Vnctione: *Si infirmus, inquit, qui petit vñctio- nem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniat ad eum, nihilominus vngit eum Sacerdos: qui in tali casu deberet etiam baptizari & absolui.* Vbi patet eum loqui de Absolutione Sacramentali, quod est contra Nauarrum: nam coniungit eam cum Baptismo. Hanc quoque sententiam tenet D. Antoninus parte 3. titulo 10. capite 2. his verbis: *Si infirmo petente Sacerdotem, interim dum veniret, obmutuit, vel effectus est phreneticus, aut amens, Sa- cerdos adueniens siue ad nutum infirmi, siue ad testi- monium illorum qui audierunt illum petentem pœni- tentiam, vel Sacerdotem, debet ei impendere quidquid potest humanitatis, absoluen- do, reconciliando.* Denique plurimi recentiores, quos citat Alphon- sus Vualdus fol. 121.

D. Thom.

D. Antoni- bus.

Ratio est: Quia hîc est sufficiens materia Sacra- menti Pœnitentiæ: nam ad hoc Sacramentum sufficit ea peccati explicatio, quam homo pro sua facultate præstare potest. Cuius signum est, quod homo, si non posset, nisi vnum veniale explicare, omnium iudicio deberet absolui: nam se accusat, suaque peccata explicat quantum potest: ergo qui in articulo mortis dat signû contritionis, non valens amplius facere, debet absolui: nam hoc si- gno censetur se accusare de suis peccatis in ordine ad absolutionem: sicut enim confitemur voce, ita etiam gestu, quando aliter nequimus. Hinc patet Responso ad fundamentum sententiæ con- trariæ.

Vualdus.

Ratio con- clusionis.

Contra: Obijcitur Primò: Absolutio est actus iudicialis, qui non potest exerceri, nisi cognitâ causâ in particulari: ergo &c.

19 Responde- tur ad ra- tiones op- portitæ sca- ptis.

Respondeo: Etsi id ordinariè verum sit, scilicet quando cognitio particularis causæ potest ha- beri; tamen quando non potest haberi, sufficit co- gnitio generalis, præsertim ad absoluen- dum: sicuti videmus sufficere cognitionem dimidiatam quando integra haberi nequit. Sic etiam Ecclesia absque particulari causæ cognitione absoluit ab omnibus censuris. Atque hoc maxime locum ha- bere debet in articulo mortis, ubi non est necesse imponere pœnitentiam, saltè exactam, ob quam potissimû crimina in particulari cognosci debent.

Obijcitur Secundò: Per illa signa contritionis Sacerdos non plus cognoscit de ipsius peccatis,

quàm antea; cum etiam homo sanctissimus possit ea edere: ergo &c.

Respondeo: Si ille infirmus confiteretur, in vitâ suâ se dixisse vnum verbû otiosum, sine du- bio deberet absolui: & tamen Sacerdos per hoc nõ plus cognoscit de peccatis ipsius, quàm antea. Satis ergo est, vt cognoscat alio modo, scilicet per aliquam significationem pœnitentiæ editam in ordine ad absolutionem.

Obijcitur Tertio: Concilium Tridentinum sess. 14. can. 9. dicit anathema ei, *Qui dicit confessio- nem pœnitentiæ non esse necessariam, vt possit à Sacerdo- te absolui:* & loquitur de confessione in particulari.

Respondeo: Concilium agit contra hæreticos, & loquitur de eo, quod ordinariè necessarium est, & extra casum necessitatis. Nam simili modo de- finit confessionem debere esse integram, cum ta- men constet ex causa posse dimidiari.

Notandum hîc est Primò: Etiam illum, qui tenet contrariam sententiam, debere in praxi vti hâc nostrâ: tum quia tenetur absoluerè pœnitentem qui tenet probabilem sententiam, etiamsi ipse sit probabilior: tum quia esset contra charitatem in hoc articulo denegare absolutionem, quam sine peccato potest impedere. Nam certum est hanc sententiam in praxi esse securam, & pas- sim vbique seruari.

Notandum Secundò: Si pœnitens nullum si- gnum contritionis dederit, nõ posse absolui: quia deest materia huius Sacramenti. Ianfonius & qui- dam alij putant posse absolui, etsi non petierit, nec signum vllum dederit. Probat ex D. Augustino lib. 1. de Adulterinis coniugijs cap. vltimo. Sed manifestè Augustinus loquitur de eo qui agit pœnitentiam, vt asequatur ab Ecclesia absolutionem. Talis autem iam signum dedit doloris, & petijt Sacramentum reconciliationis.

20

Teneret quilibet Confessor in dictis casibus ab- soluere.

Non dans vllum signû doloris non potest absolui.

DVBIVM III.

Virum teneamur confiteri peccata in præcedenti confessione per oblivionem vel ignorantiam inculpatam omissa?

Respondeo: Omnes fideles iure diuino ad confitenda omnia peccata mortifera per obliuionem vel ignorantiam inculpatam, etiam post diligens examê in priore confessione omissa, obligantur quando postea memoriæ occurrent.

21 Affirmator.

Probatur Primò: Quia id docet communis DD. consensus. Omnes enim consentiunt, eum, qui in confessione annua oblitus est aliquid peccatum etiam inculpatè, si postea memoriæ occur- rat, teneri illud confiteri etiam anno transacto; etsi in eo discrepent, vtrum statim teneatur, an possit differre in alterum Pascha: nec quisquam est inter probatos Auctores qui de hoc legatur du- bitasse.

à consensu DD.

Probatur Secundò: Quia id declarat vniuersalis Ecclesiæ praxis, vt constare potest ex ijs qui in Italia, Hispania, Gallia, Germania scripserunt de hac re. Non enim dubitari potest, quin ita vbique seruetur in Ecclesia, sicut DD. passim per orbem diffusi faciendum docent. Nam Episcopi & Pa- rochi & Religiosi communem Doctorum sententi- am in sacramentorum ministerio sequuntur.

à praxi Ec- clesiæ.

Probatur Tertio: Quia idem confirmari po- test ex illa sententia Domini, Ioannis 20: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis &c.* adiuncta in- terpreta-

Ex Scrip- turâ

interpretatione vniuersae Ecclesiae, quae vt Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. ait, *Semper intellexit ex verbis praedictis, institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem: & omnibus post Baptismum lapsis, iure diuino necessariam existere.* Atqui reipsa integra non est confessio, in qua aliquid per obliuionem omittitur, licet opinione & intentione confitentis integra sit, & ideo gratiam consequatur: ergo adhuc manet obligatio illa confitendi velut in habitu, licet ob impossibilitatem sit sopita, ac proinde ipse excusetur à transgressione: nemo enim potest confiteri quod ignorat. Confirmatur, quia ante confessionem priorem, ille verè ex parte rei erat obligatus ad confitendum illud peccatum cuius non meminit, (vt facile probari potest:) sed hæc obligatio non extinguitur per confessionem secutam; nam in ea non confitetur illud peccatum: ergo illa obligatio manet post illam confessionem velut in habitu, & vim suam exerit simulque memoriæ occurrit. Simile videmus in obligatione restitutionis, quæ per obliuionem vel ignorantiam iniuriæ, non extinguitur in reipsa, sed sopitur: quando autem in mentem venit iniuriam illatam esse, rursus vim suam exerit. Sic quoque peccato perpetrato, statim oritur obligatio confessionis, quæ est veluti restitutio quædam honoris diuini violati, eaque per obliuionem non extinguitur, sed sopitur tantummodo. Omitto alia quæ in hanc sententiam adduci possent, cum sit res indubitata.

Neque hinc sequitur confessionem integræ fore conscientiarum carnificinam, vt dixit Lutherus in Assertione art. 9. Nam etsi obligemur reipsa ad confitendum omnia peccata, etiam oblita, tamen hæc obligatio vim suam non exerit nisi circa ea peccata, quæ post diligens examen, memoriæ occurrunt. Vnde in actu secundo & in exercitio, non obligamur nisi ad ea confitenda quæ memoriæ occurrunt. Vnde qui pro suo captu conuenientem diligentiam adhibuit in conscientia excutienda, & debito cum dolore, & emendationis proposito confessus est ea, quæ tunc occurrerunt, non debet esse amplius anxius de vltiori examine vel confessione. Quod si aliquid sponte occurrat, quod illi constat omissum, potest id sine anxietate & carnificina conscientia confiteri; idque poterit quotiescumque aliquid noui occurrat, quod illi constabit prætermisum. Quod si illi sit probabile non esse omissum, non tenetur confiteri. Hic sanè nulla est carnificina, nulla causa anxietatis ratione illius peccati confitendi, quod omissum esse constabat. Eset autem carnificina conscientiarum, si in actu secundo obligaremur absolute omnia confiteri, sic vt, si forte aliquid per obliuionem omitteretur, irrita esset confessio, eiusque præcepto non satisfaceret ex parte hominis. Quo modo hæretici doctrinam Ecclesiae accipiunt: hinc etiam colligentes confessionem, quam Ecclesia præcipit, esse impossibilem: nam reuera sic maxime anxias redderet conscientias, & sæpè impossibilis esset vera & legitima confessio. Quare Conciliū Tridentinum vt vtramque hanc calumniam refutaret, sic ait sess. 14. c. 5. *Constat nihil aliud in Ecclesia à penitentibus exigi, quam vt postquam quis se diligenter excusserit, & conscientia sua sine omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminert: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non*

occurrunt, in vniuersum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheeta dicimus, Ab occultis meis munda me Domine. Quibus posterioribus verbis, non vult Concilium significare peccata quæ non occurrunt, sic ceteri inclusa, vt non debeamus ea postea speciatim confiteri si memoriæ occurrant; sed vt non reddant confessionem irritam & infructuosam, cum ab illis etiã, etsi indirectè & ex consequenti, liberemur. Hanc esse Concilij mentem patet ex scopo Concilij. Scopus enim Concilij erat ostendere confessionem vt ab Ecclesia præcipitur, non esse carnificinam conscientiarum, aut impossibilem. Atqui ad hoc, non erat necesse ostendere peccata omisssa non esse confitenda; sed satis erat docere ad præceptum confessionis implendum, & fructum consequendum, sufficere vt quis omnia confiteatur quæ memoriæ post diligens examè occurrunt, & propter ea quæ obliuione omittuntur, non impediri fructum, aut integritatem confessionis reddi impossibilem: eò quòd peccata omisssa generatim intentione & bona fide confitentis (qui intendit, & bona fide existimat se omnia confiteri) intelligantur contineri.

Hinc patet, quid respondendum sit ad rationes quæ contra obiiciuntur. Prior est: Peccata omisssa inclusa sunt eadem confessione, iuxta Concilium Trident. & subsecutà absolutione verè dimissa sunt: quid ergo constringit & vrget ad eorum postea confessionem?

Respondeo: Peccata omisssa intelliguntur in vniuersum eadem confessione inclusa; non quia reipsa sufficienter explicata sunt (hoc enim implicat contradictionem:) sed quia intentione & bona fide confitentis inclusa censentur, sic vt neque fructum confessionis, neque integritatem necessariam ex parte penitentis impediant. Similiter dicuntur dimissa secutà absolutione, non directè, sed indirectè. Nam cui remittitur vnum peccatū mortiferum, necesse est remitti concomitanter omnia; eò quòd remissio vnius non fiat, nisi per infusionem gratiæ, quæ concomitanter necessariò excludit omnia reliqua. Hinc tamen non sequitur, nos non teneri ea postea confiteri cum in memoriam venerint, vt directè ab illis abfoluamur. Nã omnia subijci Clarius debent, vt omnes docent, & Concilium Trident. apertè inuauat cap. 5. in principio. Et confirmatur: quia alioquin is qui in discrimine vitæ, quando intercepta voce vel ratione, non nisi vnum vel alterum peccatum potuit confiteri, non teneretur postea restitutus sanitati cetera confiteri, cum ab omnibus fuerit absoluitus; quod tamen constat falsum est, vt superiore dubio dictum est.

Altera obiectio est: Confessio ob solam remissionem est absolute necessaria. Nam extra necessitatem remittendi peccati, & tempus Paschale, nullum habemus confitendi præceptum: ergo cum illa peccata obliuione omisssa, fiat remissa, non tenemur ea amplius confiteri.

Respondeo: Verum non esse, confessionem ob solam peccatorum remissionem esse necessariam, seu nos ad eam obligari, si per remissionem intelligitur remissio culpæ vel pœnæ. Patet hoc in exemplo allato, de eo, qui in extremis solum vnum vel alterum peccatū confiteri potuit. Item de eo, qui veram cõtritionem de suis peccatis habuit ex amore Dei. Ratio autem cur præceptum confessionis

23
Obiectio
ex Trident.

Soluitur.

24
Obiectio,
quod confessio ob
solam remissionem sit
necessaria.

Soluitur.

22
Hinc male inferunt hæretici conscientiarum carnificinam.

tionis obliget etiam remisso peccato, est, quia remissio peccati est finis huius praeccepti, non substantia: atqui cessante fine in particulari, non idcirco cessat obligatio praeccepti, modo nihil contrarium illi fini & intentioni legislatoris eueniat ex obseruatione; vt docent omnes Doctores: & patet in praeccepto ieiunij, cuius finis est maceratio carnis, quod tamen non desinit obligare, etiamsi hac maceratione quis opus non habeat: & in praeccepto Baptismi, cuius finis est remissio peccati originalis, quod tamen non desinit obligare, etiamsi peccatum hoc remissum sit; vt patet Act. 10. v. 47. Idem patet in praeccepto Eucharistiae, & alijs multis.

DVBIVM IV.

Utrum liceat aliquando confiteri non integrè ratione casus referuati?

25
Peccata quaedam referuari posse, est de fide.

Suppono Primò: Posse superiores Praelatos aliqua peccata grauiora, tum ratione culpae, tum ratione censurae annexae, sibi referuare, à quibus inferiores non possint absoluerè: quod fide tenendum est. Patet ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. & canone 11. & Capitulo *Si Episcopus*, de Poenitentijs, & remissionibus in 6. & ex perpetua Ecclesiae consuetudine, quam esse antiquissimam patet ex Cypriano epist. 13. Ratio est: quia etsi omnes Sacerdotes in sua Ordinatione accipiant à Christo potestatem iudicariam, quae ex parte iudicis est necessaria, non tamen accipiunt subditos, in quos hanc exerant: sed hos accipiunt à Pontifice mediata vel immediata, scilicet per Episcopos, & alios Praelatos. Sicut ergo in horum potestate est dare hos vel illos subditos; ita etiam in potestate est subdere illos absolute, vel tantum secundum certos casus. Quod vt interdum facerent, fuit conueniens ad disciplinam populi Christiani, vt ait Concilium Tridentinum: tum vt quorundam peccatorum grauitas magis innotesceret, hominesque se magis ab illis continerent; tum vt efficacior medicina quibusdam grauioribus peccatis adhiberetur. Simile videmus in Tribunalibus Principum, qui multas causas suae cognitioni referuare solent, quas inferioribus Iudicibus non permittunt.

Utilitas referuatio- nis.

26
An peccata pure mentalia possint referuari.

Suppono Secundò: Hanc referuationem discrete fieri debere ad aedificationem, & non ad destructionem, vt inquit Concilium Trident. cap. 7. Hinc peccata pure mentalia non debent referuari: Si tamen Superior non concederet potestatem ea absoluendi inferiori, habenti dumtaxat iurisdictionem delegatam, valida esset referuatio: quia haec Iurisdicctio ex nudo Superioris arbitrio dependet. Secus, si inferior haberet Iurisdictionem ordinariam, vt Parochus: quia haec Iurisdicctio non pendet ex arbitrio Superioris immediati, sed ex ipso Iure. Vnde inferior sine iusta causa non potest ea priuari.

27
Nulla nuda culpa referuatur Papae.

Suppono Tertio: Pontifici nullos casus esse referuatos, nisi ratione censurae annexae. Vnde si constat sublatam esse censuram, vel eam non fuisse incursum ob ignorantiam iuris vel facti, iste casus non erit amplius referuatus; vt tenet communis sententia Doctorum. Vide Nauarrum cap. 27. num. 261. Episcopis autem referuantur etiam casus ratione solius culpae. Vide Nauarrum ibidem, & numero sequenti. Et patet ex Sy-

nodo Mechliniensis De Sacramentis capite 6. vbi referuantur Episcopo raptus virginum; homicidium, incendium deliberatum, simonia, sodomia, haeresis, apostasia, incautus cum consanguinea aut sanctimoniali, iniectio manuum in parentes cum laesione, sortilegium, adulterium notorium, & omnia delicta excommunicatione maiorem annexam habentia. His positis:

Referuatur haec Episcopi copis.

Respondeo & Dico Primò: Quando poenitens casus habens referuatos, adit Superiorem, vt ab eo absoluat, verius est Superiorem non posse audire sola referuata, & ab ijs absoluerè, remisso poenitente pro ceteris ad inferiorem: ac proinde non potest dimidiari confessio ratione casus referuati. Ita Siluester V. Confessio 1. quaest. 19. Adrianus qu. 4. de Confessione. Melchior Canus Relectione de poenitentia parte 5. & alij. Ratio est: quia integritas confessionis & absolutionis est iuris diuini. Vnde, nisi causa legitima cogat, neque confessionem dimidiare, neque super dimidiatam ferre sententiam absolutionis licet: atqui hic non interuenit causa legitima: nam vel Superior potest audire omnia, & ab omnibus absoluerè; vel si non habet tempus audiendi omnia, sed solum referuata, potest illum sine absolutione mittere ad inferiorem, cui integrè confiteatur, cum potestate, vt ab omnibus absolui possit.

28
Superior non potest absoluerè à solis referuatis, remisso poenitente pro ceteris ad inferiorem.

Notandum tamen est, Contrariam sententiam esse plurimorum Doctorum, nempe superiorem, praesertim Episcopum, & summum Poenitentiarium Pontificis, posse audire sola referuata, & ab ijs absoluerè Sacramentaliter, remisso poenitente pro ceteris ad inferiorem. Ita tenent Henricus Quodl. 1. q. 29. Paludanus, & Richardus dist. 17. Item Antoninus, Gerson, Dominicus Soto, Petrus Soto, Ioannes Medina, Caietanus, & Nauarrus. Vnde non videtur improbabilis.

Contrarium non est improbabile.

Dico Secundò: Si poenitens, habens casus referuatos, confiteatur eos inferiori non habenti potestatem in illos, inferior non potest eum absoluerè, nec à referuatis, nec à non referuatis, extra articulum mortis. Tenet Richardus dist. 17. art. 2. quaest. 8. ad 2. & Adrianus quaest. 4. de Confessione §. sed dubium: & colligitur ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 7. vbi Concilium ait, Inferiorem, extra articulum mortis nihil posse in casibus referuatis, sed id vnum poenitentibus persuadere debere, vt Superiores pro absolutione accedant. Colligit autem Concilium id ex eo, quod sententia lata in eum, in quem Sacerdos non habet iurisdictionem, sit inualida. Item, quia Concilium dicit In articulo mortis peccata non esse referuata, ne pereat quis ratione referuationis: vbi aperte indicat Sacerdoti non esse licitum absoluerè vllò modo manente referuatione: si enim posset absoluerè, etiam indirectè, non esset periculum ne quis periret ratione referuationis. Vnde manifestè sequitur non posse inferiorem absoluerè aliquem à referuatis. Sed quòd neque à non referuatis tunc possit absoluerè, patet; quia Iure diuino tam absolutio, quam confessio debet esse integra.

29
Inferior habentem referuata, nec ab his, nec ab alijs absoluet.

Dices: Ergo talis Confessio, & Absolutio, etiamsi bona fide facta sit, erit irrita.

Respondeo: Ita sanè quidam Doctores sentiunt, inter quos Richardus & Adrianus, & quidam huius aetatis: idque probant Primò: ex verbis Concilij citatis, Secundò, quia hoc Iudicium poenitentiae Iure diuino debet esse integrum, sic vt non

Est bona fides intercedat.

vt non possit diuidi: ergo cum inferior non habeat potestatem in peccata reservata, nec sententia possit ferri in sola non reservata, cum absolutio debeat esse integra, nihil efficit. Tertio: quia censura reddit incapacem absolutionis. Hæc sententia videtur satis consentanea verbis Concilij.

Verum quia est admodum dura, magis probatur nobis contraria, quæ est communior Doctorum, scilicet, confessionem & absolutionem esse validam, etiam si pœnitens habeat casum ratione culpæ vel censuræ reservatum, eumque confiteatur non habenti potestatem in illum casum, modo bona fide sic confiteatur, & Sacerdos iurisdictionem habeat saltè in aliqua eius peccata mortifera. Ita Nauarrus cap. 9. nu. 4. & 7. & in Capit. Fratres, de Pœnitentiâ dist. 5. num. 45. & 50. vbi citat multos alios: & Caietanus verbo, Absolutionis impedimenta, & verbo Confessionis iteratio. Victoria quaest. 3. de Excommunicatione. Idem tenet Henricus Quodlib. 1. supra. Durandus dist. 17. quaest. 15. num. 8. Paludanus, Gabriel, Antoninus, Siluester, Ioannes Medina.

Probatur; Quia aliqui plurimi fideles grauius deciperentur cum magno salutis periculo, idque sine vlla culpa. Perique enim Parochi & Confessores per orbem ignorant censuras & casus reservatos, vnde sine discrimine absolunt ab omnibus. Si hæc absolutio esset irrita propter reservationem, fideles nihil ex ea perciperent fructus, & præterea tenerentur confessiones suas omnes repetere: quod sanè maximam perturbationem conscientijs, & damnum animabus adferret. Accedit: quod fideles non possint scire, an Parochus habeat potestatem absoluedi à censuris, vel à casibus reservatis: vnde sine omni suâ culpâ priuarentur fructu Sacramenti, etiam si facerent omnia, quæ humano more facere debent, & possunt: quare meritò semper essent anxij. Et confirmatur: quia reservatio debet fieri ad adificationem, & non ad destructionem, vt dicit Concilium Trident: atqui si sic esset, facta esset in destructionem. Quare existimandum est, Ecclesiam in huiusmodi casibus tacito consensu dare iurisdictionem inferioribus, sicut dat ijs qui non habent titulum, nisi coloratum, vt Pœnitentes possint absolui à culpa & à censurâ ad effectum Sacramenti consequendum, non tamen à reservatione, sic vt maneant postea obligati se sistere superiori, vbi intellexerint casum reservatum fuisse. Hoc enim modo consultitur fidelium salutem, & nihilominus casuum reservatio consequitur suum finem.

Vnde ad Primum Respondeo: Sacerdotem inferiorem extra articulum mortis nihil posse in casibus reservatis. Primò, Nisi Ecclesia, tacito consensu, ratione bonæ fidei pœnitentis, det illi iurisdictionem, quasi per modum transeuntis. Secundo, & melius: nihil posse licitè, & eo modo, vt tollat reservationem. Hinc tamen non sequitur absolutionem esse irritam, si detur, quando Pœnitens bonâ fide procedit, quamuis Sacerdos peccet eam dando; sicut dictum est de eo, qui habet titulum coloratum. Si tam pœnitens sciret Sacerdotem non posse, non esset valida absolutio: tum quia tunc non subesset illa ratio concedendi iurisdictionem; tum quia peccaret petendo à Sacerdote, quod sine peccato non potest præstare.

Aduertendum autem est: Concilium signanter dixisse, inferiores sacerdotes, id est, inferiores Episcopis, nihil posse in casibus reservatis extra articulum mortis, quia iure communi possunt Episcopi absoluerè à casibus reservatis Pontifici, etiam extra articulum mortis, scilicet quando ad eum non patet facilis aditus ob aetatem, sexum, debilitatem, vel aliam iustam causam, vt patet in Capitulo, De cetero: & Capitulo, Ea nascitur: & Capitulo, Quod de his, de Sententia excommunicationis. Postea tamen sic absolutus, cessante impedimento, tenetur se præsentare Pontifici; vt patet ex eisdem locis.

Ad Secundum: Respondeo, Non diuidi hoc iudicium; quia inferiori censetur data potestas in hoc casu, tacito quodam Ecclesiæ consensu, quâ validè quidem, etsi non licitè, absoluit eum, qui bona fide ei confitetur: Potest etiam concedi illud iudicium diuidi, & Sacerdotem non rectè facere, tamen validè, quia in aliqua habet potestatem directam.

Ad Tertium: Excommunicatio pœnitentis non reddit illum incapacem absolutionis à peccatis, sicut neque gratiæ & iustificationis, sed solum facit, ne quis licitè possit absolui à peccatis, vel aliud Sacramentum percipere ante absolutionem ab excommunicatione. Quare si ignorantia excuset illum, valida erit absolutio.

Dices: Si Sacerdos inferior non potest licitè absoluerè pœnitentem à casibus reservatis, quid faciet pœnitens, si necessariò sit celebrandum, vel communicandum, nec possit adire superiorem? Respondeo: In hoc casu potest communicare contritus sine confessione, tanquam non habens copiam Confessoris.

Aduerte tamè, Quando aliqua talis necessitas vrget, nõ esse improbabile, Confessorè inferiorem posse licitè pœnitentem absoluerè à casibus reservatis, si censuram annexam non habeant. Sic enim sentiunt plurimi Doctores supra citati, qui non solum tenent absolutionem esse validam, sed etiã Sacerdotem inferiorem posse sic absoluerè, modo pœnitens non habeat censuram reservatam; tunc enim fatentur Sacerdotem non posse sine peccato. Teneri tamen pœnitentem postea illud peccatum reservatum confiteri superiori.

Non tamen videtur multum probabile, quidquid Caietanus & alij quidam dixerint, posse sacerdotem absoluerè à casu reservato, etiam quando superior facilè adiri potest, & nulla necessitas vrget: nam Concilium Trident. satis apertè contrarium insinuat. Ratio est, quia si hoc esset permistum, tolleretur sollicitudo, quam Pœnitentes habere debent, vt absoluantur à reservatis.

D V B I V M V.

Utrum, si quis confessus ei, qui habet potestatem absoluedi à reservatis, fuerit oblitus confiteri reservata, maneat reservatio?

Respondeo: Plurimorum sententia est, non manere reservata, si oblitio pœnitentis fuit inculpata, ita vt non reddiderit irritam absolutionem: vnde postea à quouis Sacerdote habente aliquam in illum iurisdictionem posse absolui. Ita tenet Couarruias in Capit. Alma. 1. parte §. 11. num. 12. vbi citat multos alios, & Nauarrus in Enchirid. cap. 26. num. 12. & 13. Ratio est, quia ille Sacerdos habens potestatem, siue ordinariam, siue delegatam, intendit absoluerè quantum po-

30 Contrariū est probabilius.

Ab incommodis.

Censetur Ecclesia hic tacite dare iurisdictionem.

31 Respondeo ad Tridentinum num. 29. citatum.

Episcopi possunt iure communi absoluerè à reservatis Pontifici.

Respondeatur ad alia argumenta Richardi & Adizani.

32 In necessitate si non valet adire Superiorem, contere.

Probabile est te posse confiteri & absolui.

Quid facies si nulla vrget necessitas.

33 Probabile est non manere reservationem.

tum potest: ergo etiam à referuatis; saltem quoad referuationem. Hæc sententia generatim est satis probabilis, & secura in praxi.

Fortè argumentum in contrariū.

Dices: Referuare peccatum, est adimere alijs potestatem absoluendi, & eam sibi retinere, & obligare pœnitentem ad sibi confitendum, vel alteri à se potestatem habenti, vt conueniens remedium & satisfactio debita adhibeatur: ergo non est in potestate, præsertim delegati, tollere illam referuationem, nisi pœnitens confiteatur reuera illud peccatum; quia delegatus non potest tollere obligationem à superiore impositam, nisi ex parte pœnitentis impleatur: ergo cum pœnitens non sit confessus illud referuatum, non potuit esse ablata referuatio: non enim liberatur quis obligatione confitendi superiori per hoc, quod indirectè ab aliquo peccato sit absolutus.

34 Sed excusat in iuris.

Respondeo: Hoc argumentum conuincere ita esse in rigore. Verùm contraria sententia probabilis est, & introducta per quamdam *in iuris*, ex tacito consensu superiorum, vt onus referuationis subditis sit facilius. Qui enim bonâ fide confessus est Sacerdoti habenti potestatem absoluendi à referuatis, virtute & implicite intendebat etiam referuata confiteri; & omnino confessus fuisset, si memoriæ occurrissent: quæ inculcata obliuio non debet ei tantum nocere, vt rursus debeat superiorem adire. Vnde ex quadam benigna interpretatione voluntatis superioris, id ei reputatur perinde atque si à referuatione absolutus esset: quare sufficit illud peccatum postea Parocho confiteri.

35 Si elegeris Confessorē vi Iubilæi.

Aduerte Primò: Satis certum esse tolli referuationem omnem quando quis virtute Iubilæi eligit Confessorem, à quo absoluatur ab omnibus referuatis: nam tunc censentur omnia peccata referuata fieri instar eorum peccatorum, quæ non sunt referuata.

Si casus referuatus propter excommunicationem.

Aduerte Secundò: Quando solum casus est referuatus ratione excommunicationis, probabilius esse tolli referuationem, etiam si per obliuionem peccatum non explicetur. Ratio est, quia potest quis directè absolui ab omni excommunicatione, etiam si causa non sit expressa in confessione. Vide Couarruuiam & Nauarrum locis citatis.

Si confessio fuerit inualida.

Aduerte Tertiò: Si pœnitens confessus sit Superiori, vel habenti potestatem absoluendi delegatam, peccata referuata desinere esse referuata, etiam si confessio fuerit inualida ob defectum doloris, integritatis, vel alium. Ita Antoninus 3. p. tit. 14. c. 18. §. 17. Siluester V. Confessio 1. q. 19. Caietanus verbo Casus referuatus. Ratio est, quia consecutus est finem referuationis, qui est, manifestare peccatum Superiori vel delegato, vt de eo iudicium ferre, & accommodatam pœnitentiam possit imponere.

DVBIVM VI.

Verum sola circumstantia mutantes speciem sint confitenda: an etiam aggravantes?

36 Quicquam negant circumstantias enormiter aggravantes esse confitendas.

Perique Doctores docent, illas quæ non mutant speciem, quantumuis intra eandem speciem aggravent, non esse necessariò confitendas. Vide Nauarrum in Cap. Consideret, de Pœnitentia dist. 5. in principio num. 6. vbi hanc sententiam tenet, & multos Doctores citat.

Hæc sententia, etsi probabilis sit ob auctoritatem illorum Doctorem: Verius tamen videtur,

eas circumstantias, quæ enormiter aggravant intra eandem speciem, esse necessariò confitendas. Explicatur exemplis: Primò: Si propter illam circumstantiam erat excommunicatio annexa Papalis, vel Episcopalis: vel si erat casus ratione culpæ referuatus. Vt percussus Clericum, est excommunicatus; sed si leuiter percusserit, potest ab Episcopo absolui; qui autem grauitur, à solo Papa absoluitur: tamen hæ circumstantiæ non mutant speciem. Sic qui furatur bona naufragantium, est excommunicatus; sine illa tamen circumstantia fures non sunt excommunicati. Vnde tales circumstantiæ sunt explicandæ: quod etiam coguntur fateri Auctores alterius sententiæ.

Verius est firmatur.

1. Si propter eas est annexa excommunicatio.

Secundò: Quando peccatum recipit duplicem, vel triplicem, vel multiplicem malitiam in eadè specie. Vt si quis vno eodemque desiderio desiderauit occidere quatuor homines, vel desiderauit illicitè complexum quatuor mulierum: etsi enim materialiter sit vnus actus, sunt tamen formaliter quatuor malitiæ. Similiter, si quis interfecit Ioannem, vt posset interficere Petrum, non sufficit dicere, *occidi Ioannem, & volui occidere Petrum*; sed debet dicere, se occidisse Ioannem ob talem finem: quia occisio Ioannis duplici malitiâ homicidij contaminata est, scilicet intrinsecâ & extrinsecâ.

2. Si plures simul iunctæ malitiæ.

Tertiò: Quando ob materiæ quantitatem vnū peccatum contrahit vnâ malitiam, quæ pluribus in eadem specie æquiualeat: hoc enim perinde est ac si essent plura peccata numero distincta: nam furtum centum aureorum æquiualeat decem furtis decem aureorum.

3. Ob quætitatē malitiæ.

Quartò: Quando ratione quantitatis temporis, quo actus continuatur, eius malitia æquiualeat pluribus peccatis. Vt si quis vno mense fuisset occupatus ad vlciscendum se de inimico vt eum interficeret. Idem de profecutione puellæ &c.

4. Ob quætitatem temporis.

Nunc prob. Propositio: Primò: Nam sæpè fit, vt circumstantia intra eandem speciem plus malitiæ adferat, quàm si transferret peccatum in alienam speciem, aut esset duplex peccatum: sed, quando transfert in alienam speciem, est necessariò confitenda; similiter quando sunt duo peccata: ergo etiam, quando enormiter auget intra eandem speciem. Secundò: Si pœnitens non tenetur eas confiteri; ergo rogatus à Cōfessore poterit eas negare, saltem sine nouo peccato mortifero, quod tamen nemo concesserit. Consequentia patet: nam si Sacerdos interrogaret me de aliquo peccato veniali, possem negare me fecisse, saltem sic vt non peccarem mortiterè, quia non teneor illud confiteri: ergo similiter. Tertiò: Sine confessione talium circumstantiarum non potest Sacerdos cognoscere statim pœnitentis, nec imponere debitam satisfactionem: nam plurimū distat furtum trium aureorum, & trecentorum: homicidium subitò commissum ex ira, & commissum ex odio, diuturna machinatione.

Dices: Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. de hæc re loquens, solum ait eas circumstantias confitendas, quæ speciem peccati mutant: ergo.

Respondeo: Concilium non dicit eas solas confitendas, sed tantum dicit eas confitendas, de cæteris nihil dicit, quia noluit hanc quætionem definire, sed solum affirmare id quod extra controuerfam erat.

Dico Secundò: Circumstantiæ, quæ augent quidem intra eandem speciem, non tamen enormiter,

38

Circum-
stantia nō
enormiter
aggrauan-
tes, possunt
taceri.

mitter, possunt omitti. Est communis Doctorum. Tales sunt omnes illi, quae communiter solent actum comitari. Vnde non est necessario confitenda intensio actus, nisi fortassis esset valde extraordinaria; neque continuatio, quae ordinariam non multum excedit. Ratio est, quia sine his Confessario satis innotescit conscientia peccantis.

D V B I V M VII.

Quanam Circumstantiae dicantur mutare speciem?

39 R Espondeo: Ille omnes circumstantiae dicuntur mutare speciem, quae nouam malitiae speciem adiungunt actui ad eam malitiae speciem, quam actus per se habet. Explicatur in singulis.

Qui.

Circumstantia *Quis* addit nouam malitiam, quando conditio personae peculiari ratione repugnat actui: vt si Religiosus, vel Clericus Ordinis sacri consentiat in turpem delectationem; nam malitiae quae est contra castitatem in illo consensu, addit malitiam sacrilegij contra votum. Non tamen est duplex malitia, propter duplex votum in Sacerdote religioso, sed vna malitia; quia vna iniuria in Deum, & vna voti violatio, etsi maior ob duplex votum. Sicut qui non soluit alteri quod duplici titulo Iustitiae illi debet, non committit duas malitias seu culpas, sed vnam, contra Iustitiam, etsi maiorem, quia contra duplicem titulum. Idem dicendum de eo qui violat ieiunium duplici precepto Ecclesiae mandatum; vt cum Vigilia Apostoli incidit in ieiunium Quatuor Temporum. Ratio est, Quia in his & similibus etsi sint duae numero distinctae obligationes, tamen honestas quae continentur & erat integra causa obligandi, est eiusdem rationis: vt, in violatione ieiunij continentur honestas Temperantiae: in violatione voti, honestas Religionis quae est in soluendo voto. Malitia autem peccati proprie fumitur ex ordine ad honestatem virtutis quae continentur, nō autem ex numero obligationū, qui solum se habet per modum applicationis obiecti.

Sacerdos
religiosus
non peccat
duplici
peccato con-
tra votum
castitatis.

40
Quid.

Circumstantia *Quid* addit nouam malitiam: vt cum ex peccato sequitur scandalum, id est, peccatum proprium, aut alienum, vel damnum v.g. in corpore, in fama, in bonis externis &c.

Vbi.
Pollutio &
furtum in
Ecclesia.

Circumstantia *Vbi* addit nouam malitiam: vt quando opus repugnat peculiari modo sanctitati loci & immunitati: vt pollutio in Ecclesia; cogitationes turpes cum periculo pollutionis; secus est sine periculo: pugna & furtum rei depositae in Ecclesia; secus si bursa alicui in Ecclesia abscondatur.

Quibus
auxilijs.
Occidens
per assassi-
num.

Circumstantia *Quibus auxilijs* tunc solum addit nouam malitiam, quando propriam aliquam deformitatem continet illius vsus: vt si quis per Assassinum occideret; hoc enim peculiari precepto prohibetur sub poena excommunicationis. Si autem per famulum vel alium socium, non est per se noua malitia in actu homicidij; quamuis potuit praecessisse noua malitia in mandando, consulendo, rogando, scilicet malitia scandalij.

Cui.
Furari vt
libidinem
exerceas.

Circumstantia *Cui*: vt quando finis externus per se malus est: vt si quis omittat ire ad Sacrum, vt legat historias turpes delectationis turpis causa. Si furetur vt insumat in libidines.

Quomodo.

Circumstantia *Quomodo*: vt si cognoscat extra vas naturale.

Quando.

Circumstantia *Quando*: vt cum specialiter pro-

hibitum est ob sanctitatem temporis: vt si opus feruile fiat die Festo. Haec Circumstantia alijs operibus etsi peccata sint, vt ebrietas & fornicatio &c. non addit malitiam mortalem.

Opus fer-
uile die
Festo.

41
Circum quid

Circumstantia *Circum quid* addit nouam malitiam, quando conditio aliqua materiae vel obiecti peculiari modo repugnat operi: vt si quis furetur calicem: si cognoscat matrem vel filiam. Vbi aduerte, omnem incestum cum ascendentibus in linea recta & descendentibus, videri esse eiusdem speciei: vt, cum matre, nouerca, auia, filia, nepte, quamuis sit diuersa grauitas intra eandem speciem, quia eiusdem speciei reuerentia ascendentibus debetur. Descendentibus in linea recta non debetur quidem illa reuerentia; tamen qui filiam cognoscit, consentit in irreuerentia quae fit paternae coniunctioni per filiam. Alterius speciei est cum forore; quia aliud vinculum intercedit, alia coniunctio. Denique, quae ex lege positua oriuntur, sunt eiusdem speciei.

Cognosce-
re matrem
vel filiam.

ARTICVLVS III.

Virum quis per alium, vel per scriptum possit confiteri?

R Espondet D. Thomas non posse, nisi quis vsu linguae careat. Ratio est, Quia ordinaria materia huius Sacramenti est confessio vocalis facta immediatē ab ipso peccante.

42

D V B I V M I.

Virum confessio facta Sacerdoti praesenti per scripturam vel interpretem, sit sacramentalis, ita vt accedente absolutione Sacerdotis sit verum Sacramentum?

R Espondeo: Vtroque modo factam, esse Sacramentalem. Vide Melchiorem Canum re-
lect. de Poenitentia p. 5. Idem insinuat D. Thomas Quodlib. 1. art. 10. Ratio est: Quia nihil hic deest essenziale Sacramento. Non enim de ratione confessionis Sacramentalis est, vt fiat secreto soli Sacerdoti, vt insinuat Scotus dist. 17. quaest. vnicā. Nam hoc concessum est in fauorem poenitentis, vt solum cogatur secreto confiteri, cui fauori ipse ob causam in aliquo casu potest renuntiare, & publice confiteri Sacerdoti audiente populo, & sacramentaliter absolui, vt colligitur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. & ex antiqua Ecclesiae consuetudine. Neque etiam requiritur, vt voce fiat, quamuis hic modus sit vltimior. Nam Christus solum obligat, vt patefaciamus nostra crimina Sacerdoti per modum accusationis, siue id fiat verbis, siue nutibus, siue scriptura; modo signo aliquo externo fiat: quod addo, quia interno actu patefacere, sicut loquuntur Angeli, non sufficeret ad rationem Sacramenti.

43
Affirma-
tur.

Dices: Si iure diuino non tenemur confiteri voce, ergo confessio facta per scripturam poterit admitti, etiamsi poenitens possit aliquo modo voce confiteri.

Respondeo: Ob iustam causam posse admitti, vt recte Canus supra: vt si aliqua puella praemagna verecundia non auderet eloqui suum peccatum, posset scripto expressum tradere Confessori, sicque

Confessio
debet fieri
aliquo ex-
terno si-
gno, non
tamen ne-
cessario
voce.